

1474  
*Triadanus*  
*Boliano in*  
*cælo affe-*  
*ctus Catha-*  
*ri moritur.*

mes conciderint . Mocenicus , auditio hostium discessu ; quum nihil Ragusij convalesceret , Venetas se contulit : paucisque post diebus Triadanus classis imperator jam octogenarius Cathari moritur . Stephanus Maripetrus , quem cum classe ad Sergii fanum Mocenicus reliquerat , soluta obsidione , jussisque turmarum præfectis in salubriora concedere loca ( omnes pene remiges sociique navales Boliano cælo gravati jacebant ) ipse quoque infirmus Venetas prefectus est . Solutæ obsidionis nuncius , qui aliquanto Maripetri redditum præcessit , ingenti gaudio civitatem affecit , quæ , quandiu illa tenuit , mire sollicita fuit . Laudatus Lauretanus , publicaque illi munera decreta . Laudati centuriones , qui præsidio fuerant ; sed imprimis oppidanorum fides , veraque in defendenda urbe virtus : tam his sua , quam illis præmia reddita . Gratia ad id circa templa Deo Optimo Maximo actæ , quod Respublica in tanto belli discrimine suo vestigio stetisset . Nec Mocenicus non ampla munera accepit : qui , Marcello Duce , initio brumæ quæ secuta est , defuncto , miro Patrum consensu Princeps declaratus est . Habuit Marcelli principatus annum unum ac tres ferme menses : ipse apud Cartusienses honorificentissime sepultus est .

*Mocenicus*  
*Marcello ,*  
*succedit .*

1475  
*Antonius*  
*Lauretanus*  
*Naupactum*  
*primo inde*  
*Lemnum*  
*opportuno*  
*accessus ser-*  
*vat .*

Verno autem ejus anni tempore Antonius Lauretanus , cui ob Scodram servatam merito maris imperium fuerat delatum , inter Cyprum & Ciliciam , cetheam Genuensem unam preciosissima Turcorum merce plenam oppres- fit : sexdecim triremibus ab initio oppugnata , capi non potuit ; Georgii inde Dragani interventu , qui Venetæ præterat cetheæ , bombardæ iactu hostium cavea discussa , Ligustica navis capta est . Nec ita multo post Solimanus , qui Scodram superiore anno oppugnarat , cum triginta barbarorum millibus Naupactum acri obsidione est adortus . *Lepantum* id oppidum vulgo hodie appellant . In Corinthiaco sinu est situm , post Calidonem , inter Ætoliae urbes præcipui olim nominis : nunc omnino infrequens habitatur , muris undique fere sua vetustate collapsis . Arx illi ad septentrionem arduo colle mariaversa con-